

crorum emendatione perferrent. Hi Lipsiam ingressi, quæ facere iussi erant, peragentes, quicquid ubique esset rerum consecratarum, quicquid sacrorum fructuum & vectigalium in tabulas referunt, Cucullionibus & reliquis sacrificulis interdicunt, ne posthac divinam rem, ut hactenus superstitiosè faciant, nevé publicè plebem amplius doceant. Cum Senatu deinde de sinceræ pietatis doctoribus sufficiens tractant. Etsi autem Senatus consilium principis probabat; tamen initiò res disputationibus huc & illuc nonnihil tracta fuit, quod Senatus moneret, primum nihil de religione absque publico ordinum provincialium consilio mutandum esse; deinde ut illis majorum instituta in eligendo sacerdote uno primario tenere, & reliquos more veteris Ecclesiæ ità nominare liceret, ut à principe nominatorum vita & doctrina excuteretur, ut illi prout videretur principi, aut rejicerentur, aut approbarentur. Cumque hoc principis legati abnuerent, Senatores, ut spacium intercedere posset, dum inter se conferrent, tempus ad deliberandum sumunt. Ex Pontificio præscripto profani homines sacris præficere quos vellent, prohibentur, & veteri more Collegii Thoma-

Aa

nj